



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Dispvatio II. De Augmentatione substantiali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

DISPUTATIO SECVNDA.

De Augmentatione substantiali.

SECTIO I.

Definitio & diuisio Augmentationis substantialis.



VGMENTATIO substantialis est motus à minori ad maiorem substantiam. Illud motus ponitur loco generis, quia in eo conuenit cum generatione & alteratione. Per *ad a minori ad maiorem substantiam*, differt à diminutione, quæ est motus à maiori ad minorem. Per *ad substantiam* differt ab accretione, quæ est circa accidentia. A generatione autem substantiali differt per *ad a minori ad maiorem substantiam*, quia generatio est à non substantiâ ad substantiam, id est à non igne ad ignem, à non equo ad equum; at verò augmentatio est ab igne ad maiorem ignem, ab homine ad maiorem hominem, quod est esse à substantiâ ad maiorem substantiam.

Aduerte, omnem augmentationem esse generationem saltem vnionis cõtinuatua; è contrario autem non omnem generationem esse augmentationem, quia hæc est per additionem nouæ partis integrantis, generatio autem potest esse solius partis essentialis, tunc autem non erit augmentatio.

Sed obieci: Quando viuens alitur, & plus substantiæ deperdit quàm accipit, (vt contingit in senibus & ægris) datur motus à minori ad maiorem substantiam, & tamen non datur augmentatio, quia plus diminuitur viuens quàm augetur, ergo definitio non est bona. Aduerte, in prædicto casu dari duos motus, vnum à minori ad maiorem substantiam, alium à maiori ad minorem. Primus est augmentatio, secundus verò diminutio. Per primum verè augetur animal, minuitur tamen per secundum. Et quia hic est maior quàm primus, absolute magis diminuitur quàm augetur: sicut si quis in vas aquam infunderet, verè illa infusio esset augmentatio aquæ vasis, licet aliàs per foramen vasis plus aquæ effunderetur, & consequenter absolute non cresceret aqua in vase, imò potius minueretur, ideoque omnibus pensatis posset dici, ibi non esse augmentationem.

Secundo obieci, differentiam augmentationis à diminutione non explicari in prædictâ definitione, quia *ad maior & minor substantia* non differunt essentialiter. Respondeo, in prædictis definitionibus explicari differentiam essentialem: nam terminus à quo augmentationis est carentia, quod explicatur per verbum à minori substantiâ; terminus à quo diminutionis est positua substantia, quod explicatur per *ad a maiori substantiâ*: terminus autem ad quem augmentationis est posituus, id est, acquisitio nouæ substantiæ, è contrario autem terminus diminutionis est carentiæ præcedentis substantiæ, vnde diminutio & augmentatio differunt, sicut generatio & corruptio.

Augmentatio potest esse multiplex: Vna, quando substantia fit maior per vnionem cum aliâ parte eiusdem substantiæ antea productæ, vt quando vniuntur duæ partes aquæ vel alterius liquoris. Secunda, quando etiam simul produciuntur noua pars formæ substantialis, vt quando ignis augetur vniendo sibi materiam stupæ, & in eâ simul producendo nouam partem formæ ignis. Tertia, quando augetur substantia per solam productionem nouæ vnionis essentialis, & etiam continuatiua, vt quando augetur homo, tunc epim produciuntur noua vnio materiæ aduenientis cum præcedenti, quæ est continuatiua, & produciuntur etiam noua vnio essentialis animæ rationalis cum materiâ adueniente de nouo.

Dubitari potest, vtrum omnes hæc tres species augmentationis sint etiam aggenerationis. Questio est de voce. Si per aggenerationem intelligas productionem nouæ partis formæ substantialis, vel vnionis formæ substantialis ad materiam, prima augmentatio non erit aggeneratio, quia in illâ, vt diximus, non produciuntur neque noua pars formæ, neque vnionis essentialis, sed solum noua vnio continuatiua: si autem per aggenerationem etiam intelligas quodcumque augmentum substantiale, tunc omnes tres augmentationes erunt aggenerationes. Et hoc vltimum absolute arbitror verum, quia in illis generatur vnio continuatiua, quæ coniungitur cum præcedenti, quod proprie est aggenerari.

SECTIO II.

Difficultates aliquæ explicatæ.

PRIMA sit, vtrum augmentatio differat specie à primâ generatione. Respondeo, ex conceptu suo differre: nam prima generatio necessariò includit productionem formæ & vnionis essentialis, vt in compositis omnino materialibus; aut saltem vnionis substantialis, vt in generatione hominis: augmentatio autem formaliter dicitur productionem vnionis continuatiua, quæ differt essentialiter ab vnione substantiali. Dixi, ex conceptu suo, nam aliquando per accidens ea duo coniunguntur, vt cum ignis vnit sibi nouam materiam, in quam introducit etiam formam ignis: est enim ibi prima generatio respectu vnus partis, quæ simul est aggeneratio seu augmentatio respectu antiquæ.

Secunda difficultas, an isto casu dentur duæ actiones substantiales diuersæ. Negant nonnulli, quia eadem est specie forma ignis producta in primâ generatione, cum producta per augmentationem; ergo non sunt ibi duæ actiones essentialiter diuersæ. Affirmant alij: nam licet ex eo capite non sint duæ, quia tamen aggeneratio hæc includit productionem vnionis continuatiua, & simul vnionis essentialis, debent esse ibi duæ actiones; & ex hoc capite inferunt, aggenerationem differre essentialiter à primâ generatione, quæ solum includit productionem vnionis essentialis. Hæc secunda sententia quoad doctrinam quam

quam supponit, omnino est vera, & videtur satis
eum probasse, displicet tamen illatio ipsius, sci-
licet semper ex hoc capite differre aggeneratio-
nem à primâ generatione, quod euidenter rei-
cio. Nam etiam sæpe dantur duæ illæ actiones in
primâ generatione, ergo ex hoc capite non differ-
runt. Pater Antecedens ex hoc casu, pone v. g. in
duabus stupis non vnitis, inter se contiguas ta-
men, à sole mediâ crystallo ignem produci; tunc
in eâ primâ generatione ignis datur etiam pro-
ductio vnionis continuatiuæ, eo enim ipso quod
in eis stupis approximatis inter se producitur for-
ma ignis, necessariò inter se continuantur mate-
ria illa, sicut eo ipso quod vna pars aquæ appro-
ximetur alteri, continuatur cum illâ; potest ergo
in primâ generatione aliquando interuenire pro-
ductio vnionis continuatiuæ; ergo non, omnis
prima generatio etiam ex hoc capite differt ab
augmentatione, in quâ produciuntur noua pars for-
mæ. Fateor, illam continuationem materiæ factam
in eâ primâ generatione esse accidentalem ratio-
ni generationis, quia hæc fuisse eadem, etiam si
materiæ illæ fuissent inter se continuatæ, verum,
licet sit accidentalis, ibi tamen de facto concur-
runt: & idem est quando viuens duas partes ali-
menti diuersi simul disponit ad nutritionem, in
ipsâ enim nutritione, dum eadem forma ab vtra-
que materiâ cibi produciuntur, vtrique materiæ an-
teâ non vnita iam continuatur.

Maiores difficultates est, vtrum in viuentibus pri-
ma generatio, v. g. productio prima formæ equi-
næ, differat specie ab aggeneratione, quæ equus
in se producit nouam partem eiusdem formæ,
quæ aggeneratio communiter nutritio dicitur.
Negant nonnulli, quia in primis res productæ
per vtramque generationem sunt eiusdem speciei,
noua scilicet pars formæ equi est eiusdem
speciei cum præcedenti, & idem est de partibus
vnionis; item agentia sunt eiusdem speciei, nam
equus seipsum nutriendus est eiusdem speciei cum
equo & equâ à quibus generatus est; ergo non
est vnde diuersificetur prædictæ generationes.
Fateor, diffcultate posse hanc sententiam redar-
gui falsitatis, multò tamen probabilius iudico,
eas esse specie diuersas, quæ est etiam commu-
nior sententia. Pro quo supponendum est, quod
sæpe insinuari, scilicet ex solo modo tendendi ab
eadem potentia circa idem obiectum esse posse
diuersos actus, & ab eadem causâ circa eundem
effectum ex solo tendendi modo esse posse diuer-
sas actiones, vt patet in apprehensione & iudicio
eiusdem intellectus circa idem obiectum, & in
actione creatiuâ & generatiuâ formæ equi, casu
quo materiæ concurreret simul cum Deo vt in-
strumentum creationis, quæ actiones essent diuer-
se sine dubio, & tamen ex parte principij non ha-
berent diuersitatem, quia ad vtramque concu-
rit Deus & materiæ prima, neque ex parte termi-
ni, cum sit eadem forma, quæ in vno casu gene-
ratur, creatur verò in alio; possunt ergo ex ei-
dem principij ad eundem effectum oriri actiones
specie diuersæ inter se ex solo tendendi modo.
Hinc infero probabiliter, primam generationem
differre à nutritione, non quidem ex parte prin-
cipij aut termini, quod ratio pro præcedenti sen-
tentia adducta probat, sed solum ex parte modi
tendendi: quæ differentia colligitur recte ex dis-
positionibus quæ requiruntur ad nutritionem,

diuersis valde ab his quæ sunt necessariae ad pri-
mam generationem; etenim hæc requirit semen
vtriusque parentis, fit in ventre solum, in quo
requirit diuersa organa, & dispositiones; nutritio
autem fit sine concursu seminis in omnibus par-
tibus corporis: ergo possumus hinc inferre, eas
actiones esse diuersas inter se, alioquin non tam
diuersas exigerent dispositiones, de quo redibit
nobis sermo in lib. de Animâ, dum de Viuenti-
bus egerimus.

Sed obiicies: Si nutritio differt specie à pri-
mâ generatione, ergo equus non conseruatur per
vnicam actionem in specie, sed per plures. Pater
consequentia, quia partes quas accipit in primo
instanti generationis, conseruantur per actionem
generatiuam, quas verò accipit per nutritionem,
conseruantur per actionem nutritiuam, quæ dif-
fert à generatiuâ; ergo. Respondeo, negando
consequentiam, quia omnes partes equi, licet in
primâ productione à parentibus fuerint produ-
ctæ, & in aggeneratione ab ipso equo, conseruan-
tur tamen à solo Deo per vnâ actionem trans-
euntem.

Tertia difficultas est, vtrum in augmentatione
deperdatur aliquod punctum terminatiuum rei
auctæ, an verò sine eo, quod aliquid ex præex-
istente amittatur, vniatur noua pars quæ auge-
tur. Quæstio hæc in sententiâ Zenonis non ha-
bet difficultatem, etenim cum quodlibet conti-
nuum ex solis punctis componatur, & quod est
terminatiuum, possit esse continuatiuum, & è
contrario; dicendum est, nullum punctum amitti
ex præcedente continuo in augmentatione, sed
illud quod antea erat vltimum, iam esse conti-
nuatiuum, eò quod post ipsum posita sint alia
puncta. In sententiâ verò Aristotelis de punctis
& partibus dicendum est, amitti punctum termi-
natiuum, tum quia non possunt esse duo puncta
immediatè vnum post aliud, essent autem, si con-
tinuarentur duo puncta terminatiua partium
aquæ quæ vniuntur, tum quia punctum termina-
tiuum est diuersum specie à continuatiuo. Hanc
solutionem illi soli tenentur dare, qui puncta
continuatiua & terminatiua in continuo admit-
tunt, vt P. Suarez & multi alij, quos ex hoc capi-
te supra reieci, eò quod causâ secunda diuidens
aquam, v. g. homo, non habet virtutem ad pro-
ducendum noua puncta materiæ primæ termi-
natiuæ in illis partibus aquæ separatis, nec è con-
trario, quando iterum vnit eas partes, habet vir-
tutem ad annihilandum ea puncta terminatiua,
quia puncta materiæ producuntur per creatio-
nem, ideoque à solo Deo possunt produci vel an-
nihilari; illi verò qui tantum partes admittunt,
puncta verò sola agnoscunt, quæ sunt vniones,
non tenentur dicere aliquid materiæ deperdi, sed
nouum vnionis punctum inter vtramque mate-
riam productum esse.

Quarta & vltima, vtrum augmentatio confi-
stat formaliter in actione continuatiuâ, an in pro-
ductione nouæ partis formæ, & quæ ex his actio-
nibus prima sit. Quoad primum respondeo, for-
maliter consistere in continuatione, quia in tan-
tum augetur ignis v. g. in quantum cum ipso no-
ua pars ignis continuatur, siue tunc ea pars for-
mæ ignis producatur, siue iam fuerit antea pro-
ducta: ergo in continuatione partium consistit
formaliter augmentatio. Quoad secundum re-
spon-

spondeo, si sermo sit de prioritate temporis, nullam esse priorem alterā, quia eo ipso quod sit pars materiæ vnita cum alterā, necessariō etiam in eodem instanti debet informari eadem formā in specie, quia entia diuersarum specierum non continuantur: item ē contrariō, eo ipso quod ambæ illæ materiæ eadem formā informantur, necessariō continuantur etiam in eodem instanti reali. Si autem sermo sit de prioritate naturæ, respondeo, priorem esse naturā productionem formæ in nouā parte materiæ, quā continuationem
 13 illarum. Ratio est, quia informari eadem formā, est causā continuationis, non verō ē contrariō, continuatio causā informationis, est enim continuatio effectus informationis, ergo prior est naturā informatio, quā continuatio. Confirmatur, quia non solum continuantur materiæ, sed etiam formæ inter se; ergo ad continuationem debet supponi productio formæ, quia omne subiectum debet præcedere formam ex illo educatam.

Dices fortē: Continuatio est dispositio materiæ vt recipiat eandem formam, ergo est prior quā productio formæ. Consequentia est bona. Antecedens probatur, quia non potest eadem forma introduci in materijs discontinuatis, ergo continuatio materiæ est dispositio ad productionem formæ. Respondeo negando Antecedens, continuatio enim duarum partium materiæ aquæ non est dispositio, vt partes illæ formæ conseruentur, qualibet enim separata in materiā potest conseruari, sed potius ex eo quod forma sit in vtraque, & illæ localiter inuicem applicentur, producet continuatio, quod verum est in omnibus illis partibus formæ quæ seorsim conseruari possunt, vbi solutio clarissima est. In his autem, in quibus vna pars pendet ab aliā, vt anima à capite & corde, res videtur difficilior, quia ideō anima definit informare caput & collum, quia hæc separantur inter se, ergo continuatio illa est dispositio, à quā pendet formæ in materiā conseruatio. Quod si informatio esset prior naturā quā continuatio, non posset ex defectu continuationis destrui forma, quæ iam supponebatur conseruata. Responderet fortē aliquis, id ita esse in his partibus, quæ non possunt conseruari solæ, scilicet, prius naturā vniri partes materiæ, quā informantur tali formā. Sed contrā, quia rogo, Ea continuatio materiæ vnde prouenit? Non à dispositionibus existentibus in illā, tum quia sæpe sunt dispositiones diuersæ rationis, vt inter
 14 partes heterogeneas animalis; heterogeneæ autem dispositiones non continuantur inter se, tum quia accidentia similia ideō continuantur, quia subiectum eorum continuatur, non autem ē contrariō ideō subiectum continuatur, quia dispositiones: vnde colores duarum partium aquæ ideō continuantur, quia partes aquæ continuantur, non ē contrariō, ideō partes aquæ, quia colores continuantur. Nec potest eam materiā continuare forma noua, quia hæc non est pro eo priori, vt tu dicis; nec antiqua, quia etiam non est; ergo nihil est quod petat eam continuationem pro eo priori naturā; ergo non potest esse continuatio, quo vsque informantur partes materiæ eadem formā petente eam continuationem.

Possentaliter responderi Secundō, pro priori naturā requiri solam approximationem localem

partium materiæ, vt possent continuari & informari; quia verō hæc approximatō aufertur per separationem capitis à collo, ideō cessare informationem animæ.

Hæc etiam solutio videtur non posse sustineri: nam prius naturā est animam informare corpus, quā partes ipsius habere vicationem, vbiatio enim in homine se mouente prouenit ab animā informante corpus; ergo vbiatio est posterior naturā ad informationem; ergo approximatō localis formaliter consistens in eis vbiationibus, erit aliquid posterius ad informationem.

Hæc difficultas à nullo tægitur: est autem haud leuis. Ei respondeo, etiam si continuatio partium materiæ, & localis inter se approximatō non sit dispositio prærequisita, vt anima informet eam materiā, esse tamen aliquid necessariō requisitum in eodem instanti reali, etiam si posterius naturā, ad informationem. Vnde, pro priori naturā vt minimum hoc requiritur, ne sit impedita capacitas eius continuationis, & approximationis, tunc autem intelligitur pro priori naturā impedita, quando intelligitur pro priori naturā ablata, positiuè per contrarium agens ea approximatō & continuatio, vt contingit, quando absconditur
 17 caput, aut separatur aliud membrum simpliciter necessarium. Quam doctrinam omnes tenentur reddere in motu locali: vt enim in instanti A. mecum calamus moueam, non requiritur pro priori naturā applicatio localis, hæc enim ipso motu acquiritur, requiritur tamen, ne quis eo ipso instanti calamus à me recipiat, tunc enim non potero illum simul mecum mouere, etiam si vel vno indiuisibili distet à meā manu; & idem est in approximatione animæ ad materiā, quam certum est non esse priorem naturā quā informationem, quia, vt paulo antè dixi, anima informans potest mouere corpus; ergo motus & vbiatio per illum acquisita, est naturā posterior ad vnionem; requirit tamen anima ad hunc motum, ne positiuè sit causata distantia ab alio agente extrinseco, vt ille possit producere talem vbiationem.

Replicabis: Ergo in priori naturā, antequam ea continuatio dissolueretur à separante caput à collo, v.g. in priori naturā antequam carnifex gladio caput à collo seiuingeret, in eo inquam priori intelligitur vnio animæ cum eā materiā, & consequenter non poterit fieri separatio. Probo sequentem, nam pro eo priori non intelligitur positiuè ea separatio: atque hoc solum requiritur tamquam dispositio vt anima rationalis informet, ergo pro eo priori est tota dispositio, ergo sequetur ea informatio; vnde rursus fiet, vt non possit postea eo instanti fieri discontinuatio, ergo debet dici requiri positiuè ipsa approximatō pro priori naturā ante informationem.

Respondeo, non sufficere in quocunque priori naturā, non esse positiuè ablatam approximationem, si in eo priori sit agens applicatum ad eam auferendam, quale supponitur illud quod potest hominem decollare; debet ergo expectari quid illud agens faciat: eo autem non nocente, primò intelligitur formæ conseruatio, & posterius naturā continuatio materiæ, & tandem approximatō localis. Quod si agens producat
 19 separationem materiæ, tunc prius naturā intelligitur separatio, & posterius naturā carentia informationis proueniens ab eā separationem: sicut in
 commu-

communi sententiâ conseruatio caloris & quorumcumque accidentium nondum intelligitur, quousque intelligitur carentia contrarij potentioris approximati à quo debellari possit: intellectâ autem eâ carentiâ agentis, eo ipso intelligitur conseruatus calor, & à calore conseruato intelligitur emanans vnio ipsius caloris cum materiâ. Quod si esset aliquod agens potens dissoluere immediatè vnionem, eo ipso posteriùs naturâ destrueret calorem, qui sine eâ vnione naturaliter non potest existere. Nec est inconueniens, positam corruptionem vnus rei esse causam à priori destructionis alterius, à quâ à priori pendebat: si enim passionis destrui possent ab agente creato priùs naturâ quàm intelligeretur conseruata essentia, eo ipso intelligeretur debere destrui essentiam, sicut etiam si Deus diceret, *nō Petro dare vocationem illam*, eo ipso teneretur illum non conseruare, & tunc negatō vocationis esset causa destructionis Petri, licet aliàs Petrus sit causa vocationis, & prior naturâ ad illam.

SECTIO III.

An Augmentatio fiat tota simul, an successiue.

SUPPONO, quæ de augmentatione substantiali dicenda sunt, debere etiam de accretione intelligi, quia eo modo quo vna pars materiæ vnitur alteri parti materiæ, & fit augmentatio, eodem vna pars quantitatis vnitur alteri, & fit accretio: imò iuxta dicenda Disput. v. Metaph. à num. 2. in meâ sententiâ, negante quantitatem distinctam, accretio idem est quod augmentatio, quâ parte hæc se tenet ex parte materiæ; nam quâ parte etiam augmentatio fit per additionem nouæ partis formæ substantialis, vel saltem vnionis substantialis in homine, distinguitur augmentatio ab accretione, sed quoad difficultatem præsentem, idem est de vtraque.

²¹ Quoad alterationem verò, etsi hæc non videatur pertinere, sed ad sequentem Disputationem, quia tamen est valde connexa cum augmentationis continuatione, vnam post alteram hic explicabo.

SUBSECTIO PRIMA.

Quid de Augmentatione.

NONnulli Auctores apud Hurtadum Disputatione 3. de Generat. §. 9. opinantur, ignem v. g. disponere passum successiue, priùs id quod vicinius, secundò quod remotius, & sic consequenter introducere formam ignis successiue in illud passum. Hæc sententia probatur hæc ratione: quia ignis citius & vehementius agit in materiam proximiorē, quàm remotiorē; ergo priùs eandem disponit vltimò ad formam ignis, ergo & priùs introducit formam ignis in viciniorē, & postea in remotiorē, & sic consequenter.

Quod si dicas, formam ignis non posse in quamlibet paruum materiam induci, vnde oportet, vt simul & in instanti introducatur in determinatam partem materiæ; respondebunt, id verum esse quoad primam productionem: nam primò non potest produci ignis nisi in determinatâ

materiâ, at quando iam habet materiam sufficientem, potest sibi etiam aggregare indiuisibilia sola, & ex hac parte poterit consequenter agere per partes proximiores & proximiores.

Hanc rationem benè refellit Hurtadus §. 14. ex horum principiis: nam si viuens continenter v. g. agit in partes viciniores alimenti, ita successiue temporis attenuabitur alimentum, vt non maneat sufficiens magnitudo pro formâ panis v. g. etiam si sit pars diuisibilis, quia per ipsos aduersarios qualibet forma substantialis, vt conseruetur, requirit determinatam magnitudinem; tunc autem necessarium erit, vt tota pars alimenti simul amittat suam formam, & consequenter in instanti, vel vt simul in eam partem diuisibilem introducatur forma viuētis. Vnde vltiùs colligitur, eam partem diuisibilem fuisse totam simul dispositam, etiam si tota non esset æquè approximata secundum omnes partes, cuius contrariam supponis.

Nec potest dici, illud minimum naturale recepisse formam viuētis, etiam si non haberet dispositiones ad illam: non, inquam, id dici potest, quia forma substantialis non potest induci in subiectum non dispositum. Secundò, quia, si simul forma est introducta in totam materiam, ergo forma substantialis non egit vniiformiter difformiter (vt tu volebas) priùs in parte viciniorē, & posteriùs remotiori, sed simul & æquè primò in vtramque, quod à te negatur; & quoad hoc eadem est ratio de productione substantiali, quæ de accidentali. Idem ego ostendo in omni primâ generatione substantiali, in quâ & ipsi aduersarij fatentur formam non posse introduci, nisi in materiam determinatæ magnitudinis. Iam ergo sic argumentor: Vel illa materia fuit tota simul disposita, vel non. Si non, ergo priùs vna pars fuit vltimò disposita ad formam ignis v. g. quàm altera, & tamen non priùs habuit formam ignis: hoc autem manifestè repugnat, quia quando est vltima dispositio ad formam ignis, & ipsa forma inducitur necessarium est; naturaliter enim petitur ab eis dispositionibus. Præterea idem probatur, quia quando sunt dispositiones vltimæ ad ignem, pereunt quæ requiruntur ad formam ligni; ergo hæc expellitur, non enim potest conseruari sine suis & cum contrariis dispositionibus: ergo vel materia manet sine vllâ formâ substantiali, quod repugnat; vel succedit forma ignis. Malè ergo dicis, materiâ secundum vnam partē priùs vltimò dispositam, & tamen non priùs in eam inductam formam ignis. Si verò dicas, eam materiam totam simul dispositam, ergo malè doces; semper agentia agere vniiformiter difformiter, quandoquidem illa determinatam magnitudinem, quæ secundum omnes partes non fuit æqualiter applicata, fuit tamen in eodem momento disposita.

Secundò hi pro se arguunt: Nutritio fit per motum localem; at hic non potest fieri in instanti, sed successiue, ergo nec nutritio. Consequenter est bona, & Minor certa. Maior probatur, quia quando homo v. g. nutritur, anima occupat nonnam partem materiæ, ergo debet ad illam transire localiter, ergo per motum localem, ergo non in instanti. Grauitèr peccat hoc argumentum, Primò, quia in ipsâ generatione hominis, vbi ipsi dicunt simul animam induci in determinatam quantitatem, est eadem difficultas, quomodo

do anima penetrauerit totam illam materiam. Dices, quia simul accepit vibrationem in tota illa. Bene, dicas ergo idem in nutritione. Secundò, quia in aliis entibus, ubi producit forma in ipsa materia sine motu locali, non habet difficultatem. Tertiò, quia neque eam habet in anima, potest enim anima rationalis in instanti per motum localem occupare simul spatium diuisibile, dummodò sit intra sphaeram extensionis; illa autem sola debent in motu locali prius esse in parte viciniore, & postea in remotiori, quæ simul non possunt naturaliter utramque partem occupare, unde necessarium est, & vnam post aliam occupare: at quæ simul possunt tria v. g. puncta occupare, non est necessarium, ut prius sint in vno, & postea in alio, ut in materia de Angelis fusiùs docui.

26 Arbitror ergo dicendum, dari aliquam magnitudinem, intra quam ipsa agentia æqualiter operentur, ita ut non prius operentur in primâ superficie illius magnitudinis, quam in secundâ, sed æquè primò in totâ illâ: quando autem dicitur, agentia operari vniiformiter difformiter, id est, citius & intensius in parte proximiori quam in remotiori, id non ita intelligendum, ut semper in primo indiuisibili citius quam in secundo operentur, sed in quatuor primis v. g. vel quinque prius quam in aliis quatuor vel quinque sequentibus, in illis autem quatuor primis sæpè æquè primò ac intensè in vno ac altero. Hanc sententiam defendit Hurtadus cum multis aliis ubi supra §. 28. eam probat ex principiis de punctis & partibus infinitis, in quibus confusio terminorum circa inceptiōem & desinētiōem intrinsecè & extrinsecè, facit ut, fatente ipsomet Hurtado, solutio aduersariorum ad argumentum ipsius difficulter oppugnari possit; propterea his relictis, venio ad argumenta clariora, & quæ in omni sententiâ locum habent.

27 Et primum quidem est, quod, aduersariorum rationibus respondendo, fecimus, ubi ostendimus, eò quod forma in primo saltem fieri non possit nisi in certâ magnitudine produci, eam materiam totam simul vltimò dispositam, unde bene infertur, agentia naturalia habere virtutem disponendi simul certam partem materiae, etiam si non sit æqualiter applicata secundum omnes sui partes.

28 Secundò idem probo nonnullis experientiis. Prima sit ex speciebus soni: videmus enim in vicinâ distantia æquè citò audiri sonum ab omnibus, etiam si inæqualiter distent; tam citò enim audiuntur verba colloquentis cum quatuor vel quinque passibus, quam ab eo qui est coniunctus cum loquente, nihilominus tamen in maiori distantia non tam citò auditur sonus, ut patet in homine ligna scindente, à longè enim videmus prius ictum, quam audiamus sonum; ergo sonus ille intra aliquam distantiam exiguam æqualiter tam citò producit species sui in primâ parte illius distantiae, quam in secundâ, in aliâ tamen distantia maiori non ita citò eas producit. Neque hæc experientia aliter potest explicari, nisi hoc modo, ut fusiùs ostendam agens de speciebus, & etiam paulò post.

Secunda experientia sit ex luce Solis, quæ si decreveret continenter iuxta maiorem distantiam ab ipso sole, decreuisset dum ad nos accedit pro-

pè infinitum, quia sunt propè infinita distantiae puncta ad nos ab illo, cum tamen videamus maxime intensam lucem produci iuxta nos; ergo dicendum est, Solem intra certam distantiam producere æqualem lucem in secundâ ac in tertiâ & primâ parte illius, & è contrario, etiam si post totam illam distantiam in illo sequenti indiuisibili paulò minorem producat. Huius autem rei non possumus reddere rationem, nisi id reuocare in naturam ipsorum agentium, cognitam ex experientis satis probabiliter, potestque etiam ex parte ipsius qualitatis productæ alia reddi ratio probabilis, quod scilicet qualitas materialis non possit existere in vnâ superficie indiuisibili: unde agens, etiam si haberet virtutem citius producendi in viciniore parte quam in remotiori, tamen quia effectus non potest ita indiuisibiliter existere, sed requirit certam magnitudinem, non potest nisi totus simul in eâ magnitudine produci.

Ex his infero, generationem substantialem & accidentalem in aliquibus indiuisibilibus fieri instantaneè, etiam si respectu omnium partium passi successiue fiat, quatenus primò producit in vnâ parte determinate magnitudinis, deinde in alterâ subsequenti, & inde successiue per omnes partes determinatas passi.

Rogabis tamen, vtrum illa secunda pars dispositionum & formæ, quæ in secundo minimo passi producit, oriatur ab agente extrinsecò quod primam produxit, an etiam ab ipsâ primâ parte in eodem passo existente. Respondeo, in viuētibz secundam partem solum produci à primâ, & non ab agente, quia secunda pars solum fit per nutritionem, nutritio autem solum oritur ab ipso viuente. In reliquis agentibus secunda pars producit à primo agente, & ab ipsâ parte primâ productâ, ut patet, quando ignis conuertitur in lignum: quò enim plures partes in se conuertit, eò actiuior, ergo quia illæ conuertæ simul cum prioribus concurrunt ad productionem sequentium, alias non cresceret eius actiuitas. Ratio à priori est, quia cum illæ partes de nouo acquiruntur sunt eiusdem rationis cum præcedentibus, & sunt æquè imò magis approximæ ad subsequentes, quam agens, non est cur illis negetur concursus ad subsequentes conuertendas in se. Agenti etiam primo negari nequit concursus, quia constituit cum omnibus illis partibus vnum agens: vt enim dixi in Physicis, non operantur agentia solum secundum vnam superficiem quâ applicantur passo, sed secundum se tota.

Hinc constat, augmentationem necessariò interrumpi per morulas, quibus interim disponitur de nouo noua pars materiae ad subsequentem augmentationem, in quo, suppositis illis quæ in hac Sectione dicta sunt, nulla est difficultas. Quid autem de alteratione, iam dicam.

SVBSECTIO SECVNDA.

Alteratio non est continua, sed interrupta.

Dixi Subsectione præcedenti, augmentationem interrumpi morulis: iam etiam oportet explicare, vtrum alteratio, quæ est actio accidentalis, interrumpatur. Et quidem à paritate rationis posset quis inferre, interrumpendam. Sed facile respondetur, negando consequentiam, quia

quia augmentatio interruptitur, ut interim in eâ morula disponatur materia, quâ dispositio non potest fieri in instanti; at alteratio, quia est ipsa dispositio, non petit aliam priorem quam expectet, & consequenter non est cur debeat interrumpi.

Recentiores communiter acriter negant eam interruptionem. Mouentur autem Primò ratione, quia, si agens in primo instanti nihil agit, ergo neque in secundo; ergo si cessat in quarto, etiam in quinto & sexto, & sic de alijs, nec poterit amplius iterum operari, quid enim confert agenti illa quies, quandoquidem non augeatur per illam eius virtus, nec minuitur passus resistens? ergo impertinenter se habet. Confirmatur: conetur quis parietem demoliri, in illum bombardam explodat, quâ primo ictu nihil omnino egerit in pariete magis quàm si non esset explosa; explodatur Secundo eodem modo, & tunc per ictum secundum nihil magis efficiet, quàm per primum.

32 Cuius ratio videtur esse Primò, quia idem manens, idem natum est semper facere idem. Secundò, quia præcessisse illum primum ictum, vel exitisse ibi causam per sex instantia, est pura denominatio extrinseca, quâ nihil conducit ad operandum; ergo, si agens casu quo non quiescisset per sex v. g. instantia, non potuisset operari in septimo, nec poterit etiam postquam quiescit; ergo vel continenter debet aliquid operari, vel continenter desistere. His argumentis respondebo dum meam probauero sententiam.

Hanc doctrinam omnino puto falsam, & quidem iuxta opinionem definitis punctis in continuo, & finitis instantibus in tempore, res est euidentissima: quia si ignis applicatus magnæ alicui trabi continenter omnibus momentis in eam operaretur, eam calefaciendo, in primo 33 instanti v. g. primam superficiem, in secundo secundam, & sic de alijs, deberet tota trabs vsque ad finem in ictu oculi calefieri, quia in ictu oculi sunt tot instantia quot puncta lineæ rectæ seu superficies in vnâ trabe, imò fortè in vnâ leuca, quia, ut dixi agens de motus velocitate, in ictu oculi Sol conficit ultra vnam vel duas leucas spatij, & (ut ibidem ostendi) in quolibet instanti non potest de nouo conficere nisi vnicum indiuisibile spatij; ergo ignis singulis instantibus vnam superficiem de nouo calefaceret, & in ictu oculi totam trabem percurreret.

Possit fortè huic argumento etiam in eis principijs de continuo responderi, ignem in primo instanti calefacere quidem primam superficiem, sed quia valde exiguum calorem in eâ produxit, non pergere in secundo instanti ad secundam, sed primam continenter intendere per aliquam morulam, postea verò secundam, & in hac etiam rursus harere, semper tamen operando: nec esse necessarium dicere, eum ignem aliquando oriri. Sed contra Primò, quia hæc solutio non habet locum in his qualitatibus, quæ secundum intensionem tota simul producuntur, ut paulò post ostendam in aliâ experientia de speciebus soni, quam & præcedenti Subsectione tetigi. 34 Contra Secundò, quia in eadem intensione ferè est eadem difficultas, licet non ita clarè percipiatur: nam si ignis in ictu oculi statim ab initio passum vel primam superficiem continenter

intendit, ergo qui in ictu oculi flammam tangit, debuisset accepisse valde intensum calorem, saltem in primâ superficie manus, eò quòd sint innumera instantia, & in quolibet accipit nouam intensionem. contrarium autem manifestè constat experientia: tam enim immutarum ferè sentit digitum qui eo flammam interfecat, etiam si ei ad ictum oculi fuisset applicatus, quàm si non tetigisset. idem est, quando citissimè niuem vel glaciem tangimus, à quâ nil prorsus sentimus in nobis.

Secunda experientia, quâ meam sententiam in omni opinione de continuo manifestè ostendo, desumitur ex speciebus soni, ex quâ etiam alias conclusiones singulares alibi intuli: sonus v. g. producit species, & simul totam intensionem, quia ipse sonus in momento postea perit. Iam sic argumentor: Sonus ille produxit 35 species sui ad certum spatium, & has in instanti. Id patet experientia: nam, qui est iuxta findentem ligna, tam citò audit sonum quàm ictum videat; ergo omnia fiunt in instanti. Illæ tamen species non statim in instanti effundunt se ipsas, ut patet euidenter experientia, quia, qui aliquantulum distans est, prius videt ictum quàm audiat sonum, & notabiliter quidem prius, quod non contingit in vicinioribus (etiam si velis dicere, viciniore non in eodem instanti audire sonum quo videt ictum, quod, licet falsum sit, non tamen enervat argumenti mei vim:) ergo illæ species cessant aliquando ab operatione, & postea operatae sunt; ergo potest agens naturale esse quod non possit continenter operari, sed debeat aliquantulum cessare.

Fortè respondebis, etiam species soni habere contrarium. Sed hoc in primis est contra te, & contra omnes; nec potest explicari quale illud contrarium sit. Secundò, etiam detur contrarium, cum hæc delatio specierum non fiat per motum localem, si quælibet pars in instanti producit in sibi proximam, & illa in eodem instanti in aliam, oportet ut eodem instanti diffundatur per totum medium. Quod ampliùs declaro: in primo instanti tales species vicerunt contrarium, in secundo autem non, sed quiescerunt; rursus in quarto aut quinto operate sunt; ergo iam concedis ibi totum nostrum intentum de morulis, & ibi omnia argumenta contra me facta insinuantur.

Dices: Hæc vltima ratio probat, calorem etiam debere in instanti produci per medium, quia non diffunditur per motum localem. Respondeo, hoc mihi fauere: contendo enim, nisi per morulas etiam in calore non possè id intelligi, addo tamen, in speciebus soni esse specialem rationem; nam intensio caloris non producit simul in primâ parte passus. vnde, ut ignis transeat ad secundam, debet in primâ diu laborare eam intendendo. At species soni secundum totam suam intensionem simul producuntur; alias, cum quis audit vnam vocem semel prolatam, debuisset per momenta in ipso intendi auditum, & clariùs ea vox percipi, quod est contra experientiam; vnâ enim æquali auditione illa vox ab vno auditur, ergo species soni non harent ut intendant passum, & cum illæ in eo instanti in quo producuntur, sint æquè operatiuæ, deberent etiam in 37 secundâ parte, & sic in omnibus operari: quòd si id

id non faciunt, ergo aliquando existunt & non operantur, postea vero operantur, quod ego contendo.

Respondetis Secundò ex doctrinà communi de speciebus soni, species soni idèò tardiùs audiri quàm videatur ictus, quia sonus fit per motum localem, qui requirit tempus. Sed contra, quidquid sit de hac doctrinà, licet sonus fiat per motum localem, specierum tamen productio ab ipso sono non fit per motum localem, sed in instanti ipsius soni: iam ergo rogo, Cur, productis speciebus à sono ipso, illæ species tardiùs veniunt ad aures eorum qui magis distant, quàm ad meas si sim vicinus? Hoc non potest in motum localem soni reduci, quia hic fuit in ordine ad primam productionem specierum; & si ab illo tota tarditas provenisset, etiam vicini debuissent tam

38 tardè audire, ut per se constar: at transacto sono, & primà productione specierum, cetera non fiunt per motum localem, sed per productionem specierum similium; ergo necessariò ea tarditas debet reduci ad hoc quod in aliquibus instantibus quiescunt illæ species.

Posses fortè cogitare aliam tertiam solutionem, & dicere, eas species produci per totum medium à solo sono, vel à solis speciebus, & illas species primo instanti vel parte temporis in primà superficie alias producere in secundà parte temporis, alias in secundà superficie, & sic perpetuò illas primas laborare: quia tamen non simul operantur in toto medio, idèò sonum audiri tardiùs in distantiori spatio, quàm in viciniore. Hæc solutio etsi veram doctrinam contineret, adhuc tamen non rectè explicaret tarditatem sine quiete specierum. Primò ergo rejicitur facillimè, quia sonus non potest id per se præstare, iam enim periit, quando à longè percipitur & auditur, ergo non potest eas species producere. Nec potest id dici de primis speciebus à sono productis, tum quia, ut sæpe dixi, intra non magnam distantiam tam citò auditur sonus quàm videtur ictus: si autem hæ species primo modo ab initio producerentur, tardiùs in remotiori loco quàm in viciniore; omnes & ubique semper deberent tardiùs audire quàm videre. Imò, quando intra idem cubiculum audimus aliquem loquentem, multò tardiùs ille qui esset ad finem cubiculi, quàm ille qui esset iuxta loquentem, deberet audire, quod tamen falsum est. Præterea rejicitur, quia cum hæ species productæ, & producentes, sint eiusdem omnino rationis, nullam fundamentum vel leue esse potest ad dicendum, eas species secundas non esse productivas aliarum tertiarum, sicut primæ sunt productivæ secundarum; ergo secundæ etiam producent, & consequenter, si id non faciant in instanti, quiescunt, ut contendo. Tandem, si priùs audiunt viciniore quàm remotiores valde, ergo quando hi audiunt, iam periit priores species, quæ fuerunt iuxta ipsum sonum, quia iam ampliùs ibi nihil auditur, quando primò procul fit auditio; ergo species illæ à sono immediatè productæ nequeunt alias remotiores per se immediatè producere, quandoquidem tunc non existunt.

Quod verò, etiam admittà eà doctrinà, non fiat satis argumento, etiam probo euidenter: nam in ictu oculi est tempus sufficiens, ut una leuca ab

Angelo vel à Sole conficiatur; ergo, si species soni nullo modo harent, sed priùs in primà parte, & immediatè post sine ullà quiete in secundà, & sic in tertià, in ictu oculi debuissent accedere ad hominem centum tantum passibus distantem: atqui experientia contrarium ostendit, multò scilicet tardiùs accedere, ergo quiescunt. Denique suadet id eis rationibus, quibus supra ostendi, etiam posità Aristotelis sententià de continuo, non rectè intelligi tarditatem motus sine morulis.

SVBSECTIO TERTIA.

Vltior eiusdem veritatis probatio.

Hæc experientia de sono tam mihi ostendit hanc doctrinam, ut nullum relinquit dubium. Sed adhuc idem ostendo per aliam, quam ipsi aduersarij adducunt, non tamen bene ei respondent: Lapis grauis supra asserem grauitans, non statim frangit asserem, sed post multos dies, vel certè annos; ergo non egit à primo instanti continenter in illum asserem, aliàs à primo instanti incepisset diuidere asserem, & fecisset ibi lineam, quod ridiculum est.

Respondent hi, toto illo tempore aliquid impetui à lapide in lignum, scilicet impetui, qui impetus fit maior per continuationem, quousque tandem superat lignum. Sed hæc solutio improbabilis est, Primò, nam si per omnia momenta per tres annos ille impulsus cresceret, profectò deberet esse ferè infinitus circa finem annorum eorum. Secundò, rogo, Quomodo in secundo ictu oculi est maior ille impulsus intensiùs, cum nec lapis factus sit grauior, ut maiorem intensiorem producat; nec ex parte asseris est ablatum aliquid, quia vis, quæ resistit, non est nisi vniò partium, quæ vniò in secundo ictu oculi non est diminuta; & impenetrabilitas quæritatis, quæ etiam est eadem. vnde ergo potuit fieri maior intensiùs ille impetus: neque enim lapis est agens liberum, ut magis grauitet iam quàm antea pro suo libitu; ergo etsi æqualiter ille lapis sit applicatus, non tamen continenter loco pellit vel destruit contrarium, sed aliquando operatur, aliquando verò non.

Secundò euidenter impugno eam solutionem: 4) nam peto, Ille maior impetus, qui continenter crescit, à quo conseruatur? Si ab ipso lapide, tunc euidenter infero Primò, Ergo totus potuit in initio produci. Probo consequentiam, quia parte lapis ille habet virtutem simul influendi in totum illum impulsu in vigesimo instanti; ergo etiam habuit in primo: nam non est difficilius primò producere decem, quàm conseruare decem, est enim actio eadem productiua & conseruatiua in tuis principijs. Secundò infero, ablato vel per vnicum instans inde lapide, periit totum illum impetum per duos annos productum, & consequenter illum lapidem, ut frangatur asserem, indigere tribus nouis annis, quod euidenter est falsum: nam fuisse per ictum oculi inde ablatum lapidem, si iterum in loco reponatur, planè nihil inuabit asserem; ergo multò minùs dabit illi vires ut per tres annos valeat iam de nouo resistere. Si verò dicas, non à lapide, sed à Deo conseruari illum impulsu, ergo remoto illo lapide, adhuc graui-

grauitabit in asserem, sicut vsque ad illud punctum grauitarat, licet iam de nouo non intendatur amplius impulsus: hoc autem est omnino falsum; quis enim dicat, lapidem, qui heri asserem premebat, etiam hodie, postquam inde ablatus est, premere? deberet autem, in tua sententia, quia lapis iam non conseruabat, vt tu fateris, impulsus, vnde ablatio lapidis non conduceret vt cesset impulsus, vt patet in impulsu à me impresso lapidi, qui durat etiam me absente, eò quod à me non conseruetur; & in ligno deberet semper durare, non enim est contrarium ligno, cum trudar illud infra asserem, quò aliàs ipsum lignum tendit.

Aliter responderi potest argumento, scilicet, lapidem illum semper grauicare, & consequenter numquam interrumpi morulis eius operationem. Sed contrà, quia in ipso impulsu habet vnum meum argumentum: ille enim impulsus, qui ibi diu fuit, potuit tandem vincere lapidem, quod non egit ab initio; ergo potest esse aliquod agens, quod debeat aliquantulum esse applicatum antequam operetur.

45 Respondebis Tertio: Impetus ille debet necessarium semper augeri, quia grauitas lapidis simul cum impulsu à se producto est fortius agens, & consequenter producit maiorem impulsus: quando autem venit ad summam intensiorem, frangit asserem. Sed contrà, quia hinc sequeretur, in infinitum debere illum impulsus augeri, quod repugnat. Sequela verò probatur, quia grauitas vt duo, cum impulsu vt vnum, producit rursus alium impulsus vt octo, & sic erit vt tredecim, & iste cum grauitate rursus alium in eodem etiam instanti, sicque in infinitum. Secundo, quia hoc totum fit in primo instanti, ad quid ergo est necessarium tempus duorum annorum? Patet Antecedens, quia in eo primo instanti ille impulsus si est productiuus alterius, & sufficienter approximatus vt illum producat, producat illum, nec necessarium est expectare nouum instans. Tandem hoc ipsum ostendo: nam pluma vel charta descendens habet semper eandem grauitatem, & aer est idem, & tamen ipsi oculis videmus iam hærentem iam cadentem plumam, ergo possunt naturalia agentia æquè applicata aliquando interrumpere suam actionem. Et hæc instantia sufficit ad respondendum etiam argumentis, quæ in contrarium fieri possunt.

SVBSECTIO QUARTA.

Respondetur argumentis oppositis.

46 Ex dictis constat, non gratis nec sine fundamento has morulas à nobis positas, vt nobis obiciebatur, sed ad id cogi nos ordinariis experientis. Secundo, quòd dicitur, præcessisse ibi vnam vel alteram morulam, esse denominationem extrinsecam in agente, fatemur libenter. Sed quid inde? quoties enim agentia physica pendunt à conditionibus extrinsecis, etiam non existentibus actu, quando operantur? numquid, vt ego possim in instanti B. acquirere v.g. vbi in ponte Pragensi, debui in instanti A. præcedenti habuisse vocationem iuxta ipsum pontem, & tamen in instanti A, quòdo acquiri in ponte eam vocationem, iam fuerat corrupta præcedens. Si ergo ad eam

acquirendam vocationem, pendeo ex denominatione extrinsecâ præteritâ, cur nõ poterit agens requirere ad operandum aliam similem, scilicet, fuisse approximatum passo per aliqua instantia? Idem 47 ostendo manifestè ratione per se notâ: nam habere virtutem ad continenter sine intermissione operandum, magis multò est, quàm habere eam ad operandum per Pater & Aue, ita vt teneatur postea tantillum cessare, & sic possit iterum redire; cur ergo omnibus agentibus eam maiorem virtutem debes concedere? Cur non poterunt esse multa, quæ naturâ non sint ita continenter operatiua?

Dices: Non defatigantur ex primo instanti. Contrà, etiam pluma descendens non defatigatur, & tamen non potest continenter sine morula moueri. Similiter calor vt octo non defatigatur producendo calorem vt septem v.g. & tamen non potest vltra, nec potest vt octo producere, quod & tenentur omnes fateri; ergo licet non defatigantur agentia, non idèò debet illis quælibet maior virtus concedi: nec video, cur ex eo, quòd possit qualias aliqua contraria resistere per mediam horam, sequatur posse etiam per totam æternitatem resistere. Multæ res petunt durare aliquantulum, non tamen semper; quid ni etiam possint petere aliquandiu operari, vel resistere, non tamen semper? Neque illud axioma, *idem semper manens, idem semper natum, est facere idem*, verum est in toto rigore, vt ex dictis constat, quia agentia etiam ex se manent eadem; variatis tamen aliquibus conditionibus extrinsecis, variatur etiam eorum virtus.

Dices: Nullam reddis mihi huius rei rationem à priori. Hoc est benè lepidum! da mihi rationem à priori, cur ad acquirendam hanc vocationem requiratur præexistisse in vicinis, quandoquidem proprii nature iam nihil est ea præcedens vbiatio: similiter da mihi rationem à priori, cur requiratur approximatio passi cum agente, & quid faciant illæ vbiationes ad operationem: da mihi rationem à priori, cur species visus se non diffundant nisi lineâ rectâ, secus verò species soni quæ ad omnem partem: & vno verbo, vix vilius experientie solidam rationem à priori poteris mihi dare, nisi reducere id ad naturam eorum agentium cognitam per experientiam. Hanc eandem do tibi in præsentia; si aliam quaeris, frustra defatigaberis.

Ad exemplum de bombardâ d. num. 32. posset responderi, fortasse toties posse æquales ictus repeti, vt licet primus nihil effecerit, tandem aliquis similis illi aliquid efficiat, & sic paulatim deiiciatur: quod posset confirmari ex marmore politissimo & purgatissimo iam à pulueribus, perfecteque læuigato calcatur primâ vice à puero, non est moraliter credibile, quod ille puer, cum primum posuit pedem, detraxerit aliquid de illo marmore læuigato, & à puluisculis purgato, toties tamen postea calcabitur, donec tandem consumatur magnâ ex parte, etiamsi non calcetur fortius. Et fortasse idèò dicitur, *gutta cauat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo*: neque mihi persuadeo, quòd gutta primò tangens limpidißimum marmor, statim aliquid excavet. Sed ne mihi recurras ad imperceptibiles partes ablatas ibi, nego tibi consequentiam, quia ego solum loquor de eodem agente, quod dico debere esse aliquantulum applicatum vt operetur, & dico, etiamsi

Y y

conti-

continenter applicatum sit, non tamen semper operari continenter. Hi autem ponunt exemplum in bombardâ, quæ non semper applicatur, ac proinde deficit ibi experientia quam in agentibus continenter applicatis habemus, etiam si videatur esse eadem ratio. Deinde respondeo, bombardam habere tam remissam vim, ut non possit absolute deicere murum, etiam si primâ vice aliquod minimum signum in muro fecerit, ut proculdubio facit; ergo non ideo bombardam non deiciet, quia primò nihil fecit, ut hivolent, confiter ergo illud exemplum nullum esse, vel etiam contra illos.

SECTIO IV.

De termino accretionis & augmentationis, ubi de maximo & minimo rerum naturalium.

DIFFICULTAS est, utrum possit quodlibet corpus sine termino augeri. Hæc difficultas est duplex, alia de viventibus, alia de non viventibus.

PRIMA CONCLUSIO. Corpora non viuentia, quæ nec habent connexionem cum viventibus, & sunt homogenea, non determinant sibi ullam magnitudinem, ultra quam non possint crescere. Probat, quia in aquâ v. g. & in igne non est vlla ratio, cur non possint magis & magis augeri, cur enim, si alius Oceanus daretur, non posset cum hoc continuari? Confirmant hoc ipsum aliqui, quia alioquin sequeretur, quod si esset maximus ignis, non posset stupam comburere. Sed hæc ratio non est bona: posset enim dici, illam stupam comburendam, non tamen vniendam alteri igni, eò quod non posset crescere, quod est diuersum. Melius ergo de hoc ipso fit argumentum: quæ enim repugnantia in eo, quod dico, illi ignes inter se vniantur?

Dices: Ignis exigit determinatam intensiorem accidentium, ultra quam non potest aliam habere; ergo & similiter exigit determinatam extensionem, ultra quam nequeat crescere. Nego consequentiam: discretimen consistit in eo, quod cum gradus intensiorem recipiatur in eadem parte subiecti, & hoc habeat determinatam virtutem, non potest plures & plures sine termino recipere; extensio autem non recipitur in eadem parte subiecti, nam quodlibet punctum continuatur cum aliis quatuor aut sex punctis; ergo sicut puncta intermedia sunt capacia continuationis, ita etiam quæ sunt vltima, poterunt continuari cum aliis, & fieri intermedia, & sic in infinitum crescere corpus illud.

Aduerte, licet prædicta corpora non determinant ex se limitatam magnitudinem, impediri tamen ne in infinitum crescant, tum à corporibus contrariis, tum defectu materia in quam possint operari, item & à spatio limitatione.

SECUNDA CONCLUSIO. Viuentia determinant sibi certam magnitudinem, ultra quam non possint naturaliter augeri. Hæc est Aristotelis 1. Physic. cap. 4. textu 36. & 2. de Animâ cap. 4. textu 41. & 7. Politic. cap. 4. & 4. de Generat. animalium, cap. 4. quem sequuntur multi alij Philosophi relati à Conimbricensibus 1. Physicor. cap. 4.

quæst. 1. art. 2. estque communis. Probat, Conclusio: quia si corpus esset summæ magnitudinis, distaret aliquæ partes notabiliter à stomacho, nec posset ad illas peruenire ex stomacho alimentum: ut nutrentur: imò nec ab ore ad stomachum posset peruenire; ergo debet constare certâ magnitudine corpus viuentis.

Respondent nonnulli, hoc argumento nihil conuinci, quia tunc in eo casu etiam ipse stomachus esset multò maior, & consequenter posset facile prouideri aliis partibus. Sed contra, quia quantumuis stomachus esset infinitæ magnitudinis, adhuc caput distaret infinitè à stomacho, item & pedes, quia interponeretur collum, quod esset infinitæ magnitudinis, item & venter infinitæ magnitudinis; ergo nec posset alimentum venire ad ore in stomachum, & à stomacho ad alias partes, quantumuis stomachus infinitæ esset magnitudinis. Manet ergo adhuc tota vis argumenti facti.

Sed vrgebis: Tam benè prouidetur domui magnæ per magnam culinam, quam parvæ per parvam. Sed contra, quia quò maior est domus, etiam si proportionaliter maior sit culina, magis distat hæc à reliquis domus partibus, quàm distat culina exigua in domo parua: ergo si cresceret domus in infinitum, quantumuis culina magna esset, non posset ex illâ ad partes reliquas domus perueniri, nec cibis ad culinam ex foro vniquam posset accedere. Idem erit in viuentis, iuxta dicta in replicâ primæ solutionis. Respondens autem confudit distantiam cum capacitate præparandi sufficientes cibos: quoad hoc enim admittit illi, infinitam culinam sufficere pro infinitâ domo. Verum ubi inueniuntur tam agiles famuli, qui cum cibis illud infinitum spatium tempestiue percurrant? Hoc opus, hic labor est.

Secundò potest Conclusio probari, quia omnia viuentia, dum agunt in alimentum, repatiuntur ab illo ita, ut aliquid deperant propriæ virtutis; ergo tandem ex nimia actione & passione extinguuntur, & consequenter habebunt terminum, ultra quem non possint crescere. Hoc argumentum non omnino placet: nam dicam paulò post, ex vi nutritionis formaliter loquendo non sequi, hominem interemptum tri. Melius ergo potest secundò ab experientia confirmari, quia primi parentes, qui ferè ad mille annos vitam protraxerunt, adhuc tamen non toto illo tempore creuerunt. Et ne longius abeamus, omnes nos crescimus solum ad vigesimum quintum annum, quamuis postea per longum tempus viuamus & nutriamur, ergo habemus terminum præfixum magnitudinis. Ratio à priori est, nam ad hoc ut animal crescat, requiritur ossa & nervos esse molles; nam, ut primum indurantur, non possunt crescere: in homine autem, quò paulatim acquirit maiores vires & calorem, paulatim etiam indurantur ossa & nervi usque ad vigesimum quintum annum, à quo tempore propter ossium nimiam duritiem non potest amplius crescere, nisi solum in carne, ex cuius maiori aut minori alimento provenit, illum esse magis pinguem: in hac autem pinguedine etiam habet homo terminum, quia est nociua vitæ, imò homines valde pingues & crassi suffocantur intra breve tempus, habet ergo viuens terminum omnis suæ magnitudinis. Quæ autem sit ratio, cur aliqui

aliqui homines plus minusve augeantur, non est in praesenti explicandum: illud certum, omnes habere terminum suae magnitudinis maiorem vel minorem, iuxta diversum temperamentum, sicut habent terminum velocitatis virium, &c. quae diversitas oritur ex diversa complexione, nullam tamen esse, quae naturaliter in infinitum possit excrecere.

TERTIA CONCLUSIO. Ferè omnia corpora, quae connexionem habent cum viventibus, determinant sibi certam magnitudinem. Probatum apertè ex praecedenti, quia non potest esse maius cadauer hominis, leonis, &c. quam fuerint homo, leo, &c. ergo, si hi sibi praefigunt terminum magnitudinis, necessariò praefigunt & illa. Dixi, ferè omnia, contra aliquos qui de omnibus indiscriminatim conclusionem statuunt. Nota tamen limitatio probatur apertè, quia oleum & vinum fit ex viventibus, & tamen non determinant sibi magnitudinem ultra quam non possint augeri, non secus ac aqua. Quod si dicas, Te non loqui de quibuslibet viventibus, sed solum de animalibus; Contra, quia oleum, quod fit ex cere & ex aliis piscibus, item omnis adeps quae ex animalibus eruitur, non praefigit sibi terminum certum magnitudinis; ergo etiam cum hac limitatione non est vera tua conclusio.

56 Ratio verò pro nobis est, quia omnia corpora liquida, quae continuantur, eo ipso quòd iuxta ponantur, non praefigunt sibi terminum magnitudinis: licet enim, quando sunt in animali, habeant terminum, quia tamen postea possunt augeri modo dicto, absolute non habent terminum, corpora autem dura v. g. os, imò etiam caro pellis, quae non continuantur, etiam si vnum iuxta aliud ponatur, praefigunt sibi magnitudinis terminum, & dum sunt viva, ob dicta in secundâ Conclusionem; & dum sunt mortua, quia tunc nec per nutritionem, cuius sunt incapacia, nec per juxtapositionem, ob rationem proximè dictam, possunt augeri.

QUARTA CONCLUSIO. Viventia praefigunt sibi terminum parvitatis. Ratio est, quia formae vitales requirunt corpus organicum ad quascumque functiones vitales: vnicum autem vel duo indivisibilia sola non possunt eam organizationem habere; requiritur ergo corpus divisibile determinatè magnitudinis, infra quam non possit forma vivens recipi. Haec est communis, & caret difficultatè.

57 **QUINTA CONCLUSIO.** Corpora mortua, etiam si ex viventibus relicta sunt, non determinant sibi terminum in parvitate, id est, possunt in vno indivisibili materiz existere. Quae enim repugnantia potest esse in eo, quòd detur vnum indivisibile ossis & olei separatim à reliquis? Non dico, nos posse illud separare; nec enim tam subtiles divisiones facere possumus, sed, si separaretur ab Angelo v. g. posse in illo eam formam naturaliter conservari.

Dices: Non poterit operari, ergo neque esse. Primum nego Antecedens, poterit enim in aliud corpus indivisibile operari. Deinde nego consequentiam, quia sicut modò nullum effectum cognoscimus in capillo divisibili separato, nec tamen ideo negamus illum posse conservari, cur non & poterit vnicum indivisibile capilli, etiam si operatum non sit, aliquamdiu conservari? Fa-

teor, illud indivisibile facile debellandum ab agentibus contrariis, nisi sit ex his quae maximam habent resistentiam, qualia sunt ossa, vitra, quae etsi exigua sint, nisi igni applicentur, diutissime durant.

SEXTA CONCLUSIO. A fortiori non determinant sibi terminum parvitatis alia corpora non viventia, nec ex viventibus relicta, qualia sunt lapides, arena, vitrum, crystallus, aqua.

Dices: Videmus ignem in parva materia statim extingui, ergo praefigit sibi terminum parvitatis. Concedo Antecedens & consequentiam, dum ignis est iuxta agentia contraria. Ratio est, quia ignis habet paucissimam resistentiam, & requirit ferè summum calorem, ut conservetur; cumque non possit in tam parva materia frigiditati circumstantium corporum resistere, statim extinguitur: ceterum si poneretur in vacuo, vel inter corpora illi non contraria, non video, cur etiam in indivisibili non conservaretur naturaliter. Quidquid autem sit de igne propter eius tenuem resistentiam, adhuc in reliquis corporibus nostra Conclusio vera manet; videmus enim, partes farinae & alterius rei omnino comminutae ferè esse indivisibiles, nec unitas inter se, & tamen diu conservari; ergo non praefigunt sibi terminum usque ad indivisibile exclusivè.

SECTIO V.

De potentia nutritiva, & eius actu.

POTENTIA nutritiva propria viventium est illa, quae hac se ipsa ab intrinseco augent, ad differentiam non viventium, quae per solam juxtapositionem crescunt. Non est in praesenti disputandum, utrum haec potentia sit vitalis, an non; deinde, utrum ab anima distinguatur: quia haec omnia ad lib. de Anima pertinent, in quibus universim de animae potentis disputandum erit: solum ergo in hac Sectione de actu eius potentiae, id est, de nutritione actuali differemus.

SUBSECTIO PRIMA.

Qua ratione, & in quibus partibus fiat nutritio.

DVM animal crescit, nutritionem fieri in omnibus illius partibus, est certo certius: experientia enim docet, maiora esse omnia membra in homine procere statuta, quam in ipso parvulo fuere; ergo omnia illius membra nutritione aucta sunt. Difficultas solum est, an postquam coeque illius incrementum, v. g. expleto vigesimo quinto aetatis anno, detur postea nutritio in omnibus partibus illius, tam in duris quam in molibus, in ossibus & carne. Respondeo huic difficultati, partes duras ab eo tempore non nutriri, ut dentes, & ossa. Ratio est, quia omnes illae partes ita exsiccantur, & illarum pori clauduntur, ut non possint fugere alimentum quo nutriantur. A posteriori probatur Primum, quia si ossa essent capacia nutritionis sicut caro, semper posset homo in altum crescere, quod falsum est. Sequela probatur, quia eo ipso quòd ossa augeantur & crescant, necessarium est ut crescat animal.

Dices: Crescunt ossa versus latitudinem, non
Y y 2 autem

autem versus longitudinem, sicut crescit caro in homine quadragenario. Sed contrā, quia non est maior ratio, cur possint ossa nutrirī versus latitudinem, quā versus altitudinem; eadem enim dispositiones requiruntur ad vtrumque augmentum. Quod si caro non augetur versus altitudinem, ideo est, quia ossa non crescunt; si enim hæc crescerent, caro etiam cresceret versus altitudinem. Pro quo aduerte, totam hominis altitudinem à plantā pedis vsque ad verticem capitis ex solis ossibus coniunctis per nervos componi, carnem autem præcisè esse vestem ossium; vnde omnino repugnat, animal in longitudine crescere aut decrecere nisi per augmentum aut decrementum ossium; augmentum autem carnis solum efficere posse hominem crassiores, non autem altiores, nisi eā exigua parte, quā caro subiaceret ossibus pedis, & tegit cranium in capite: ergo cum statura hominis semper eadem perseveret ab eo anno vigesimo quinto vsque ad finem vitæ, quantumvis crassior fiat homo, dicendum est, ab eo tempore ossa non nutrirī, sed solam carnem. Idem probatur Secundo, quia licet à gravissimis morbis redigatur ad eum statum in quo erat lob, dum de se dixit, *Pelli mee, consumptis carnibus, adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia mea circa dentes meos*; adhuc tamen altitudo hominis non minuitur, etiam si aliquando inclinetur ad terram: ergo quia ossa semper manent eiusdem altitudinis cum erant antea, ergo quia erant incapacia & decrementi & augmenti à potentia nutritiua.

Quod si aliquando dici solet ad ponderandam morbi gravitatem, ab illo ossa corrodī, id hyperbolicè dictum intellige, non quia reuera ita contingat; sicut etiam dici solet in homine vehementer stupefacto, nec guttam sanguinis mansisse, cum tamen certum sit, sine sanguinis copia non posse vivere hominem, nec per breve tempus.

Explicatis paribus quibus fit nutritio, restat explicare modum quo fiat, quod breviter ex communi Medicorum & Philosophorum sententiā ita perstringo. Primò ergo cibus ore exceptus minuitur dentibus, & ad primam coctionem in stomacho faciendam præparatur: agitatione lingue & gulæ attractione ab ore in stomachum euocatur; ibi convertitur in massam albam, à Medicis *chylum* vocatum: chylus verò per venas à stomacho in iecur & cavitates nature in hunc finem præparatas ducitur, ibique convertitur in sanguinem, admixtum tamen aliis tribus humoribus: quoniam autem hi humores non sunt apti ad nutriendum hominem, ideo separantur à sanguine, flava bilis in vesiculam, ubi

iam dicitur *fel*, atra ad splenem; pituita autem non habet proprium locum, tum quia iuxta nonnullos est vehiculum sanguinis, tum quia iuxta Conimbricenses 1. de Generat. cap. 5. quæst. 3. art. 2. est sanguis semicoctus, ideoque faciliè perficitur, & cedit in alimentum; tum quia deseruit ad humectanda membra omnia, ne frequenti agitatione arecant. Ad has omnes concoctiones iuvatur alitrix facultas humore aquæ, vini, aut alterius liquoris. Illis autem concoctionibus peractis, quia iam humor aquæ & vini superfluous est, per venas emulgentes primò in renes, deinde in vesicam deicitur, ut possit extra animal pelli. Sanguis omnino expurgatus recipitur in

venā, quæ *cava magna* dicitur, & incipit à iecore, ac per totum corpus plurimis ramulis diffunditur: per hanc attrahitur sanguis ad omnes corporis partes, & à qualibet convertitur vltimò in propriam substantiam, à carne in carnem, ab ossibus in ossa, &c. & hic cessat animalis nutritio: excrementa verò ex cibis relicta, per facultatem expultricem euocantur in ventrem, & inde foras eiciuntur, ne noceant animali, & ut locum faciant novæ nutritioni, & excrementis ab illa relinquentis. E sanguine in iecore ad nutritionem præparato, purior & viuior pars ascendit in cerebrum, quem sanguinem dicimus *spiritus vitales*: in cerebro rursus fit subtilior & purior, convertiturque in spiritus animales, quibus vivuntur sensus ad suos actus, imò etiam ipsi intellectus propter dependentiam quam habet ad intelligendum à phantasmatis dum est in corpore: & hinc fit, homines agrestes, & qui vescuntur cibis duris & crassis, semper esse ingenio hebetes, quia spiritus animales ex his cibis producti, sunt maximè crassi; sapiunt enim naturam alimenti à quo prodire, ideoque sunt inutiles ad intelligendum. Qui hac de re plura desideraverit, consulat Conimbricenses supra solitā claritate & elegantia materiam hanc pertractantes.

SVBSECTIO SECUNDA.

An necessarium sit omne vivens nutrirī: ubi de causā necis humana.

COMMUNIS sententia in presenti est affirmativa. Probat, quia calor naturalis virtute ignea continuò agit in humidum radicale, illudque consumit; ergo necessarium est, animal mediā nutritione damnum resarcire, alioquin peribit statim. Contra hanc communem & veram sententiam insurgunt acriter nonnulli recentiores, fuscè contententes, probare, falsum omnino esse, calorem naturalem agere in humidum radicale. Pro quo supponunt, humidum radicale non esse corpus aliquod humidum, quo animal alatur, sed esse partes illas quas in primā generatione accepit. vnde inferunt, calorem naturalem non posse agere in humidum, quia id esset agere in ipsum animal. Confirmant Primò: ille calor interiit pereunte animali, ergo ille non interficit animal consumendo humidum. Patet consequentia, quia nihil potest seipsum interficere. Confirmatur Secundo, quia si mors causaretur ab eo calore, non esset homini violenta, quod est falsum. Patet sequela, nam violentia est ab extrinseco, passio non conferente vim: sed calor ille non esset ab extrinseco, est enim naturalis animali; ergo nec mors ab illo causata erit violenta.

Quod si ab his quæras, cur animal indigeat alimentis; Respondebunt in primis, initio suæ generationis egere alimento, ut ad perfectum statum prouehatur; postea verò nouo egere temperamento, ideoque habet intra se principium corruptionis, scilicet qualitatem illam à primo alimentis in gradu præternaturali constitutam: ad relaxandum autem hoc damnum, necessarium esse alimentum novum, & cum ab hoc novum infuse-

67 ratur damnum, semper nouum necessarium est alimentum. Deinde, quia à corporibus ambien-
tibus, v.g. ab aëre, igne, Sole, destruitur recta ho-
minis temperies, ideo etiam necessarium esse ali-
mentum. Tertiò, quia spiritus vitales, vtpote
ignei, exhalantur facillè, nec possunt alijs de nouo
acquiri, nisi detur noua alimentis materia, ex qua
per nutritionem generentur.

Hæc doctrina displicet valdè. Primò, quia ex
eà sequitur, casu quo Deus produceret hominem
in perfectâ staturâ vt produxit Adamum, eumque
collocaret vel in vacuo, vel inter alia corpora non
habentia qualitates contrarias, illum æternum
conseruandum, quin comederet & nutrieretur,
idque naturaliter, quod quis non videt omnino
68 falsum esse? Sequela probatur ex doctrinâ ho-
rum, quia in primis homo ille non egeret alimen-
to, vt ad perfectam staturam perueniret; nec à
corporibus ambientibus alteraretur, quia non es-
sent illi contraria: item nec spiritus vitales pos-
sent exhalari, quia non esset principium à quo
mouerentur, nec agens contrarium à quo de-
strueretur, ergo ille homo, quamuis æternum du-
raret, non egeret alimento, præsertim si illum
daremus non efficere actus sensationis; sed nec si
efficere; quia etiam tunc non esset extrinsecè cõ-
trarium à quo possent spiritus vitales destrui, ab
intrinsecò autè per te nullo modo possunt, ergo.

Secundò, quia ex hac doctrinâ sequitur, homi-
nem etiam in hoc statu posse per plurimum tem-
pus durare, naturaliter loquendo, etsi non nutria-
tur, quòd apertè falsum est. Sequela probatur
manifestè: & pone hominem valdè pinguem, hic
non egeret cibo vt aleret humidum radicale,
quia per te hoc omnino est Chimericum vt à no-
bis ponitur: deinde non egeret cibo, vt tempera-
mentum redderet ad statum perfectum, quia per
te per nouum alimentum semper deterius fit po-
tius, quàm perficiatur temperamentum anima-
69 lis: denique non egeret alimento, vt acquireret
nouas partes materiæ, quia etiam esset valdè pin-
guis, donec amitteret omnem carnem, ita vt ex
eius defectu præcisè moretur, necessarium esset
plurimos menses elabi (videmus enim quotidie
plurimos lobo similes, quibus, consumptis car-
nibus, pelles ossibus adherent, quo tamen non
obstante viuunt) ergo vt ille homo ex defectu
præcisè carnis moretur, necessarium esset plu-
rimum elabi tempus, cum tamen qui fame per-
eunt, sæpè plures carnes habeant quàm alij ægro-
ti aut infirmi adhuc viuentes; ergo ille qui fame
perit, non perit præcisè ex defectu carnis suffi-
cientis ad conseruandam animam rationalem
corpori vnitam; ergo in hac sententiâ non esset
vllum caput, vnde homo ille pinguis ex de-
fectu cibi tam citò moriatur.

Dices, requiri alimentum ad spiritus vitales.
Contrâ, quia non est principium, à quo tam citò
spiritus illi vitales corrumpantur: non enim à se
destrui possunt, præsertim in tuâ sententiâ, non
admittente vnâ partem posse agere in aliam.
70 Dicendum ergo, hominem illum ideo tam citò
perire, quia humidum radicale necessarium ad
conseruationem vitæ, extinctum est per calorem
natiuum, eò quòd per cibum non fuerit caloris
actiuitas retardata, & humidi damnum resarci-
tum, ideoque mori antequam amittat carnes re-
quiritas ad vitæ conseruationem.

Tertiò, quia ipsi aduersarij docent, experien-
tiæque id suadet, ossa obdurescere in virili ætate;
ergo quia calor naturalis ea exsiccat: nam quod
isti dicunt, ea exsiccati à cibis, omnino est ridicu-
lum. nec enim semper homines aluntur cibis
magis siccis quàm calidis, imò plures solis frugi-
bus & herbis, quæ sunt humidissimæ, sustentan-
tur. Adde, etiam si cibi essent semper sicciores,
quia tamen coniunguntur cum aquæ aut vini, al-
teriusque potus, quo viuimus, humore, necessariò
ad concoctiones non potest dici, exsiccati ossa ra-
tione ciborum; debet ergo id reduci in excessum
naturalis caloris. Nec etiam dici potest id fieri à
71 Solis calore, nam etiam in regionibus frigidissi-
mis homines indurescunt: nec ab aëre ambiente,
hic enim in sententiâ aduersariorum est summe
humidus. Et certè, licet siccus sit, non est ita ope-
ratiuus humiditatis. Confirmatur euidenter,
quia, vt dicam infra, humiditas & siccitas non
sunt qualitates distinctæ, nec aliquid aliud quàm
corpora fluida & sicca, vnde corpora humida non
destruuntur siccitate, quia hæc nihil est, sed calo-
re, quo exhalantur paulatim corpora humida,
ergo siccitas hominis nõ provenit aliunde, quàm
à calore nimio, hic autem calor in tanto excessu
non oritur à cibis nec ab extrinsecò, ergo est calor
ille naturalis depascens paulatim humidum ra-
dicale.

Quartò, quia, omnibus pensatis, negari nequit,
in homine ab ipsâ naturâ datum fuisse calorem
in gradu multò intensiori quàm frigus: ideo
enim pueri sunt calidissimi, & cor hominis ita
calore ardet, vt manus illi adhuc exteriùs appli-
cata, statim incalescat valdè. Et in alijs animalibus,
72 v.g. in tauro, docetur communiter tantum
esse cordis calorem, vt vix vel per breuissimam
temporis morulam in eius corde recenter mortui
manum tenere quis possit, non secus ac in igne.
Nec potest dici, eum calorem ex cibis prouenisse,
tum quia cibi non sunt adeò calidi, vt in bruiis
gramen, stramen, aut auenam comedentibus, tum
quia si essent ita calidi, temperarentur à frigidi-
tate aquæ cum quâ sociantur, tum quia si id ex ci-
bis oriretur, calidiores multò essent senes quàm
pueri, quia plures comederunt cibos quàm pueri,
consequens autem est apertè falsum.

Ratio à priori huius doctrinæ sumitur ex eo,
quòd ad concoquendos cibos in stomacho non
tam conducit frigus quàm calor, propter maio-
rem illius actiuitatem, ideoque omnes ibi con-
coquuntur & præparantur calore, non verò fri-
gore; datur ergo in animalibus calor naturalis in
gradu intensiori. Deinde ponendum est, dari et-
iam gradus aliquot frigoris, alioquin arderet ani-
mal, & in ignem conuerteretur. Tunc sic argu-
mentor clarè ex his duobus principiis: nam pars
73 illa, quæ excedit in calore, non dubium quin co-
nectur illum introducere in partem frigidiorẽ,
qualis est inter humores, flaua bilis, & inter alias
partes splen, imò caro vicina, ossa, &c. ergo illæ
partes debellabuntur à calore naturali, & conse-
quenter inuicem destruentur, eritque homini na-
turale aliquod principium, à quo saltem per ac-
cidens extinguatur, nec id orietur præcisè ex ci-
bis, vt contendebant Auctores.

Denique, quia negari nequit, necessitatem re-
spirationis communem omnibus animalibus ab
ipsâ naturâ provenire, & non ratione solius ali-
menti;

menti; ergo, quia necessarius est animali aer temperatus, quo calor cordis temperatur; imò ob eundem finem data sunt dua alula seu flabella, quæ continuo motu nouum subfrigidum in illud aerem excitent: ergo datus est calor animali ab ipsâ naturâ in gradu ita intenso, vt nisi alius le temperetur, extingatur animal; ergo requirit animal alimentum, tum vt calor naturalis in illud & non in humidum radicale agat, tum etiam vt ex ipso cibo, quicquid ex humido radicali fuerit consumptum nouæ partis humidæ productione, reſarciatur per calorem.

74 Argumenta autem aduersatorum difficultate carent. Primum, desumptum ex eo, quod vna pars animalis non possit agere in aliam, habet instantiam ad hominem: hic enim fatetur, humores, & præcipuè sanguinem, informari eadem animâ, & tamen caro agit in sanguinem illum in se conuertendo, item agunt & ossa. Deinde, quantumvis vtræque manus eadem animâ informetur, si vna excedat in calore, & alteri applicetur, non dubium quin agat in illam; ergo cum aliqua pars animalis excedat in calore, non mirum si agat in passum sibi proximum, licet sit compars illius. Nec hinc sequitur, intendi per se à naturâ mortem animalis, vt contendeatur in primâ confirmatione; à naturâ enim datus est ille calor vt concoquat cibos, quia ad hoc necessarius est; quod autem agat in alias partes, est præter intentionem naturæ. & vt huic damno opitularetur, non quidem ex toto (id enim fieri non poterat, nisi tollendo eum calorem), quod esset tollere instrumentum nutritionis (sed saltem ex parte, prouidit humidum radicale, quod est corpus pingue, & valde humidum, in quod quasi retunderet vires ille calor.

75 Ad illud, quod secundò inferbatur, nempe illum calorem intendere sui destructionem dum agit in alias partes, tenentur etiam ipsi respondere, quia calor intensior existens in animali, interimit animal in eorum sententiâ, hoc autem interempto, extinguitur etiam ille calor; ergo etiam ipsi tenentur fateri, aliquam qualitatem saltem per accidens seipsam interimere. Ratio est, quia ille calor pendet per se ab animali, dumque alias partes vult assimilare sibi, per accidens tollit dispositiones requisitas ad conseruationem animalis, quo mediâ seipsam interimit, nec in hoc vllum apparet absurdum.

Ad vltimam confirmationem de violentiâ mortis Respondeo, eam esse violentam animalis: quia licet causetur à calore illi natiuo, id tamen est contra intentionem naturæ, per se medio illo calore intendenti solam nutritionem animalis, quod omnes tenentur fateri; etenim licet mors causetur ex calore non naturali, sed ab alimentis producto, cum ab animali exigatur alimentum, vt in perfectum statum perducatur, saltem mediâ ab illo exigitur propria mors, non quidem per se, sed per accidens. Idem dicito de calore naturali.

SUBSECTIO TERTIA.

An totum alimentum conuertatur in substantiam aliti.

CERTVM est, non conuerti: neque enim partes omnes cibi possunt perfectè concoqui; vnde ex illo solum assumentur partes puriores & defeciores, quæ in substantiam alimenti conuertuntur, reliquæ abeunt in excrementa. Secundò idem suadet, quia licet omnes partes alimenti essent æquæ puræ, & aptæ ad nutritionem, quia tamen non omnes applicantur æqualiter, (cibus enim habet profunditatem, ob quam partes exteriores magis distant) potest contingere, vt viciniore disponantur antequam remotiores, postea verò alia vel à virtute expultrice, vel à superueniente cibo, vel aliis de causis impediatur, ne possint concoqui.

Aduerte, hic nonnullos contendere, hanc doctrinam esse de Fide, ex illo Christi, *omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*; ergo non est cibus aliquis qui in substantiam totaliter conuertatur, alioquin esset falsa propositio Christi, *omne quod in os, &c.* Miror tamen ex hac Christi propositione de Fide fieri nostram sententiam, cum propositio illa dicat vniuersaliter, *omne quod in os intrat, in secessum emittitur*; & consequenter videatur etiam ex illâ inferri, nil prorsus alimenti conuerti in substantiam aliti, quod tamen falsum est.

Dices, Tò omne ita debet sumi, vt significet quemlibet cibum in secessum emitti, non quidè secundum se totum, sed secundum partem. Sed contra Primò, quia ad intentum Christi propositio sic explicata inepta est: voluit enim Christus probare, quod in os intrat, non coquinare hominem, quia in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Ad hoc autem requiritur, vt totum eat in secessum: nam si aliquid remanet, posset Christus redargui, non totum emitti, sed remanere partem aliquam, à quâ posset homo coquinari; ergo illa propositio debet in sensu totali intelligi. Contra Secundò, quia in communi modo loquendi nò omne neutraliter positum idem est, ac totum: quare licet propositio hæc, *omnis cibus in ventrem vadit*, vera esset, licet non totus cibus, sed aliqua pars omnis cibi in ventrem iret, hæc tamen, *omne quod in os intrat, &c.* non potest esse verà, nisi totus cibus in ventrem vadat. Probat-
78 tur assumptum: licet enim possit dici, omnia composita sublunaria sunt materialia, & id verum sit, etiam si non omnes partes eorum compositorum sint materiales, vt non est anima rationalis, quæ est pars hominis compositi sublunaris; tamen non potest dici, omne sublunare est materiale: nam anima est aliquid sublunare, & non est materiale. Ratio est clara, quia cum dicitur, *omnis cibus, omne compositum, &c.* prædicatum quod affirmatur, cadit supra totum compositum, ad quod sufficit, si illud prædicatum conueniat alicui parti, quia totum denominatur ab aliqua parte: quapropter dicitur homo intellectiuius, volitiuius à solâ animâ rationali. Quando tamen nò omne neutraliter ponitur, supponit non solum pro toto composito, sed etiam pro qualibet parte illius, ideoque vt propositio sit verà, prædicatum, quod

79 quod affirmatur, debet convenire cuilibet parti. Quapropter licet, ut diximus, omnis homo dicatur intellectivus à solâ animâ rationali, non tamen potest dici, *omne, quod est in homine, est intellectivum*, quia tunc non omne non solum pro composito, sed etiam pro quacumque parte supponitur; quia qualibet est aliquid, etiam seorsim sumpta, ideoque comprehensa sub voce *omne*: ergo cum Christus non dixerit, *omnis cibus*, sed, *omne quod in os intrat, &c.* intelligendum est in sensu totali. Vel ergo ex hoc loco multum infertur, vel nihil.

Ergo respondeo, in eo Christum locutum more humano & vulgari, quia vulgariter censetur cibus abire in excrementa, quia, ut ait noster Maldonatus in hunc locum, tam exigua pars remanet, ut possit dici totus abire: & sic respondet Ethnicis, qui ex hoc loco Christum Dominum tanquam malum Philosophum accusarunt, & ei obiecerunt ignorantiam nutritionis. Nec tamen propterea quidquam Christus Dominus decidit, an aliquando exiguum aliquod alimentum naturæ valde conforme totum convertatur in substantiam alii, unde non est putanda de Fide hæc opinio de nutritione.

80 In præsentî disputari solet à nonnullis, utrum qualibet res possit esse alimentum animalis, utrum elementum purum sustentet, an non; sed de his Medici disputabunt melius.

SUBSECTIO QUARTA.

Vitum vivens eo ipso quod nutriatur, debeat necessario naturaliter mori.

81 COMMUNIS sententia affirmat, eò quod alimentum semper agit in vivens, ergo tandem illud debellabit. Nihilominus tamen puto probabiliorē contrariam sententiam, pro cuius probatione supponamus, dispositionem requisitam ad conservationem hominis esse calorem ut sex v. g. & frigus ut duo. Licet ergo per alimentum deperdat homo aliquem gradum caloris, & acquirat aliquem frigoris, aut è contrario amittat aliquem frigoris, & acquirat aliquem caloris, iuxta diversitatem cibi, & ita aequaliter infirmetur hominis dispositio, cur tamen non poterit esse aliquod aliud alimentum oppositum priori, per quod homo amittat gradum qualitatæ productum per primum cibum, & acquirat alium gradum deperditum, & ita continuò amittat & recuperet gradum necessariū ad perfectam eius dispositionem, & consequenter numquam ratione cibi moriatur? Idem est in alijs 81 qualitatibus. Confirmatur experientia quotidiana, quâ videmus, homines morti vicinos, in quibus temperamentum iam planè erat deperditum, paulatim ciborum & medicamentorum vi pristinam recuperare sanitatem, vires, &c. ergo possunt cibi non solum non nocere absolute & simpliciter homini, sed illi restituere temperamentum qualitatæ prius deperditum per gravem morbum, vel per alios cibos. unde, si homo haberet perfectam herbarum & aliorum ciborum notitiam, posset sine dubio in æternum se conservare, recuperando per secundum cibum, contrarium priori, vires & dispositiones amissas

per priorem. Adde, communem esse sententiam, fructus ligni vitæ, qui naturales erant in se, habuisse etiam naturalem virtutem, ut in perpetuum vitam hominis sustentarent; ergo non est de ratione omnis cibi, minuere paulatim dispositionem animalis. Videte P. Molinam 1. Parte 82 de Opere sex dierum, disput. 26. ubi improbabilem dicit sententiam, negantem, fructui ligni esse naturalem virtutem ad conservandam perpetuò vitam hominis. Tandem, quia etiam extrinsecis remedijs sæpè damna à cibis illata reparantur; ergo ex hac parte, si homo ea remedia exactè nosceret, & posset eis uti, posset se conservare in perpetuum.

Sed obijciat quis Primò: Alimentum convertitur in substantiam viventis, in eâ autem parte acquisita manent accidentia alimenti (neque enim omnia accidentia alimenti debellata fuere à vivente) ergo per multiplicationem alimenti multiplicabuntur contraria viventis, usque dum omnino vincatur. Respondeo, concedo sequelem, si semper vteretur ipsi eodem cibi, negando tamen illam, si contrarijs vutur: etenim per 83 qualitates contrarias cibi secundi expellit priores, & ita restituitur ad primum statum & temperamentum, quod habebat antequam primus cibus in illum ageret; sicut licet ex veneno acquisierit qualitates contrarias vitæ, per antidotum tamen postea non anget eas qualitates contrarias, sed potius eas expellit, & restituitur ad temperamentum pristinum.

Obijciat Secundò: Numquam ita unum alimentum est contrarium alteri, ut possit unius damnum ita perfectè refarcire; ergo non poterit perfectè restituere hominem ad statum antiquum. Confirmatur, homini non solum ratione caloris aut frigoris est alimentum contrarium, sed ratione etiam aliarum qualitatū, quas debet debellare: atqui cibus vnus, licet sit alteri contrarius in frigore, non erit in alijs qualitatibus, quibus prior cibus nocuerat etiam homini; ergo non poterit omnino damnum refarcire.

84 Respondeo Primò, negando Antecedens, scilicet non posse esse tales cibos in se ita contrarios, ut vnus reparet damnum illatum ab alio. Secundò nego, semper quemlibet cibum in duabus qualitatibus debere nocere homini; cur enim non erunt multi, qui in solo frigore, aut calore illis autem poterit mederi homo per alios in eâ qualitate oppositos, & quidem de facto id sæpè contingere, clarè probatur experientia ordinariâ supra insinuatâ ex medicinis aut theriacâ, quâ planè totum veneni aut morbi damnum refarcitur.

Aduerte, etiam si ratione ciborum posset tale vivens conservari perpetuò modo dicto, absolute tamen illud futurum mortale, vel quia violenter ab alio homine aut animali occidi poterit, vel casu aliquo opprimi, vel lapide grandi vel igne supra ipsum ruente, vel ipsomet homine cadente, vel aliquo stellarum influxu; denique quia non erat necessitatus ad comedendos cibos prioribus contrarios, quibus damnum repararet, posset enim impediri, aut eos non inuenire; esset ergo absolute mortalis, solum ergo hæc Conclusio posita est, consideratâ tantum vi nutritionis.